

# ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS

## Romanae Rotae Tribunal

### SENTENTIA DEFINITIVA

*In Nomine Domini. Amen.*

Ioannis Pauli PP. II anno Summi Pontificatus decimo sexto, die 27 ianuarii a. 1994, RR. PP. DD. ANTONIUS STANKIEWICZ, qui et Ponens, AEMILIUS COLAGIOVANNI e HYGINUS RAGNI, Auditores de Turno, in causa X., Nullitatis Matrimonii, inter d. num. E., actorem, domicilium habentem in Y., in iudicio repraesentatum et agentem per suum Patronum ex officio adv. P.N.; et d. nam B., conventam, domicilium retinentem in V., rite citatam; interveniente et disceptante in causa Rev.mo R.R., Vinculi Defensore N. A. T., sequentem in tertio iudicii gradu pronuntiaverunt sententiam definitivam.

### FACTI SPECIES

1. D. nus E., hac in causa actor, machinator, cum tricesimum ageret annum, in matrimonium duxit iuxta ritum Ecclesiae Latinae, die 27 ianuarii a. 1985, d.nam B., conventam, undetriginta annos natam, aegrorum ministram, in paroeciali ecclesia dicata Sancto Iosepho de Bethlehem, in oppido X., intra fines dioeceseos X.

Quoniam novi coniuges matrimonio “by proposal” seu concordato ope parentum iuncti erant, ex quo fere de facie tantum inter se noti erant post brevem

occursum sex mensibus ante celebrationem nuptiarum habitum, quem commercium epistolare tantum secutum est, inopinatas difficultates vitae conjugalis ex crudescente morbo psychico conventae exortas aequo animo superare non valuerunt.

Cum enim tertio mense convictus conjugalis perdurante, hoc est die 19 aprilis a. 1985, B. in demetium valetudinarium conici debuit, vir factum illud moleste acceptavit, quia uxorem sanae mentis in matrimonium ducere intenderat et ad hunc finem iam ante nuptias quandam explorationem exsecutus est.

Postquam vero a fratre uxoris C. certas notitias receperat B. tempore praenuptiali curationi subiectam fuisse, quae ad mente captos sanandos pertinebat, e domo conjugali omnino discessit.

2. Dein E., paucis mensibus a separatione vix dum exactis, seu die 19 martii a. 1986, libellum litis introductorium Tribunali X. exhibuit, quo matrimonium suum nullitatis accusavit ex capite erroris in qualitate personae conventae, in quem ipse inciderat, et ex capite doli a parte conventa patrati.

Aditum Tribunal, ratione loci celebrationis matrimonii et quasi-domicilii partis conventae competens, libello admisso et processu rite peracto, die 16 iulii a. 1987, negativam protulit sententiam, qua declaravit non constare de matrimonii nullitate ex adductis nullitatis capitibus, id est "either on the ground of error concerning a quality of a person amounting to the error of person as intended in Can. 1097 § 2, or on the ground of fraud as intended in Can. 1098".

Sed negativam sententiam primi gradus infirmavit Tribunal appellationis V., die 10 novembris a. 1988, ad quod actoris pater H. appellationem interposuerat, declarans videlicet filii causam "has quite suf-

ficient valid grounds to merit a favourable verdict”.

Appellante Vinculi Defensore, causa delata est ad hoc Apostolicum Tribunal.

Instante Patrono ex officio actoris, instructio suppletiva peracta est.

Tandem, receptis scripturis defensionalibus, nunc Nobis respondendum est dubio sequenti sub formula, die 23 iulii a. 1992 concordato: «*An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob errorem in qualitate personae directe et principaliter intenta (c. 1097, § 2) ex parte viri actoris, atque ob deceptionem dolosam a parte conventa patratam (c. 1098)*».

### IN IURE

3. Error licet epistemologice in statu assensus mentis in falsum consistat, ex quo idem fit ac falsum de aliqua re iudicium, iuridice tamen falsam cognitionem et repraesentationem facti alicuius vel normae aut substantiae actus iuridici denotat, quae discrepantiam inducit inter voluntatem ex erroris influxu efformatam ac declaratam, et voluntatem sic dictam hypotheticam seu interpretativam, quae scilicet haberetur si error seu falsa rei cognitio abesset.

Est igitur error vitium cognitionis realitatis praesentis vel praeteritae in conclusione actus iuridici, qui ideo tum ab ignorantia et nescientia distinguitur, quae in defectu cuiuslibet cognitionis sive verae sive falsae consistunt, tum a dubio et suspicione in quibus status indeterminationis mentis errorem penitus tollit, tum a iudicio opinativo quod cogitationem de opposito implicat et adhaesionem incertam tantum sive in verum sive in falsum facit.

Quamvis error sit vitium cognitionis seu apprehensionis, vi tamen iudicii hypothetici, quod in

se cohibet, voluntatis quoque rectam formationem impedit, quae nempe alia esset si error non exstaret. Attamen actus sub erroris influxu positus non est omnino involuntarius, sed tantum involuntarius «secundum quid», id est si talis error non adesset, ex quo doctrina translaticia negotii iuridici errorem inter vitia voluntatis enumerat (cf. V. SCIALOJA, *Negozi giuridici*, Roma 1950, 249 ss.).

Itemque in doctrina matrimoniali canonica error considerari solet inter vitia consensus, qui est actus voluntatis (c. 1057, § 2), quo matrimonium in suo esse totaliter constituitur (cf. V. REINA BERNÁLDEZ, *Error y dolo en el consentimiento matrimonial canónico*, in AA. Vv., *The New Code of Canon Law*, II, Ottawa 1986, 1047; U. NAVARRETE, *Capita nullitatis matrimonii in Codice I.C. 1983: Gressus historicus versus perfectiorem ordinem systematicum*, in AA. Vv., *Iustus Iudex*, Essen 1990, 272-273; J.F. CASTAÑO, *Il sacramento del matrimonio*, Roma 1992<sup>2</sup>, 353 ss.). Falsa enim cognitio ut puta substantiae aut naturae matrimonii in voluntatis determinationem influxum suum exercet eamque vitiat. Sed tamen quando “error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso consensu defectus, et per consequens in matrimonio; et sic error de iure naturali habet quod evacuat consensum” (S. THOMAS, *Commentum in lib. IV Sententiarum*, d. 30, q. 1, a. 1, in c.).

4. Non quilibet tamen error actum reddit nullum, nisi aut versetur circa id quod eius substantiam constituat, aut in condicionem sine qua non recidat, aut iure aliud caveatur (c. 126).

Sed ex generalibus iuris principiis constat errorem in persona, quacum actus stipulatur, haud semper versari circa id quod eius substantiam constituit, nisi agatur de actu iuridico intuitu personae

ineundo, sicut in matrimonio obvenit, quod in communione personarum consistit.

Nam consensu nuptiali vir et mulier foedere irrevocabili mutuo se tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium (c. 1057, § 2), hoc est totius vitae consortium, quod indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis generationem et educationem ordinatur (c. 1055, § 1).

Quare error in persona, etiamsi sit unilateralis, in foedere matrimoniali semper habetur substantialis, qui ideo consensum matrimoniale iam ex ipso iure naturae nullum reddit, cuius vis inest quoque praescripto c. 1097, § 1 ita praecipienti: "Error in persona invalidum reddit matrimonium".

Profecto in errore substantiali de persona alterius partis consensus seu actus voluntatis errantis in tertiam personam fertur ad perficiendam cum illa tantum mutuam traditionem et acceptionem, non vero in compartem praesentem in nuptiarum celebratione, de cuius identitate concreta erratur.

5. Notum est autem «personae» conceptum non eundem exprimere sensum apud varias doctrinas iuridicas, quae interdum notionis personae physicae dissolutionem quoque proponunt (cf. L.M. CASTAÑEDO, *El concepto jurídico de persona*, Pamplona 1989, 117 ss.).

Sed traditioni canonicae proprius est talis «personae» humanae conceptus, quem scilicet acceptio ontologica promovet, iuxta quam "homo dicitur persona, quatenus est «naturae rationabilis individua substantia», seu "individuus rationalis, conscientia et voluntate praeditus"; iuridice autem "quatenus est «capax iurium et obligationum subiectum», hoc est "subiectum activum iurium et subiectum passivum obligationum iure obiectivo statutarum et ex aliorum

iuribus subiectivis profluentium” (G. MICHIELS, *Principia generalia de personis in Ecclesia*, Parisiis - Tornaci - Romae 1955<sup>2</sup>, 5-6).

Quare conceptus personae, de qua in c. 1097, § 1 cavetur, videlicet in quam error cadere potest, alius esse nequit nisi concretæ personae humanae seu physicae (cf. cap. I, tit. VI. lib. I CIC).

Nam personae humanae concretæ seu physicae est vocatio ad coniugalem communionem instaurandam per mutuam plenamque donationem personalem (cf. c. 1057, § 2), non vero personae «idealiter» conceptæ, aut cuiusdam «identitatis» moralis et socialis vel peculiaris alicuius «personalitatis».

6. Inde in errore circa personam alterius contrahentis agi potest tantum de concreta persona humana, hoc est de “subiecto iurium et officiorum in sua individualitate et identitate sumpto, abstractione facta ab omnibus ulterioribus qualitatibus quibus singulum subiectum afficitur in sua existentia reali” (U. NAVARRETE, *Error circa personam et error circa qualitates communes seu non identificantes personam*, in *Periodica de re canonica* 82, 1993, 664).

Haud obstante igitur aliquo conatu introducendi compagem personae «idealiter» conceptæ, in dubitationem tamen vocari nequit certum constansque iurisprudentiæ principium quod penes substantivum nomen «persona» in c. 1097, § 1 unam tantum significationem implicat, “nempe *individuum physicum* ab aliis distinctum” (coram POMPEDDA, sent. 6 februarii a. 1992, Calicuten., n. 2).

Idque firmiter tenendum est, cum nullum ad rem adduci possit argumentum Legislatorem contra traditionem canonicam (c. 6, § 2) significationem personae etiam qualitatibus moralibus, socialibus, culturalibus ac iuridicis addixisse, quibus nempe individuum exor-

nari solet, vel potioribus elementis eius structurae psychicae, videlicet “intendisse vim erroris in *persona* tamquam vim erroris in *personalitate* alterius contrahentis” (*ibid.*, n. 2; cf. etiam coram infr. PONENTE, sent. 22 iulii a. 1993, S. Salvatoris in America, n. 7).

7. Quin immo si conceptus *personalitatis* in locum *personae physicae* in c. 1097, § 1 substitueretur, talis interpretatio personae omnino superfluum redderet lege firmatam nullitatis sanctionem tum quoad errorem dantem causam contractui circa qualitatem personae directe et principaliter intentam (c. 1097, § 2), tum quoad deceptionem dolosam, errorem secumferentem, circa alterius partis aliquam qualitatem consortium vitae coniugalis suapte natura graviter perturbantem (c. 1098).

In utroque enim casu, ad instar erroris in persona (c. 1097, § 1), omnino sufficeret simplex error in qualitate communi aliquo saltem modo incidenti in quandam «personalitatis» speciem, utpote qui exsereret discrepantiam inter voluntatem ex erroris influxu efformatam et voluntatem hypotheticam seu interpretativam, quae scilicet haberetur si error non adesset, hoc est absque ulterioribus requisitis, de quibus in canonibus 1097, § 2 et 1098 nominatim cavetur.

Commutatis verbis, in utroque casu “sufficeret ergo sic dicta «voluntas interpretativa», quae indicat simpliciter statum intentionalem illius qui non contraheret si sciret compartem illa qualitate carere (vel illam habere)” (U. NAVARRETE, *Error circa personam*, 665), quia ad effectum nullitatis matrimonii praeter errorem non requireretur nec qualitas ab errante directe et principaliter intenta, neque deceptio dolosa circa aliquam qualitatem consortium coniugale graviter perturbantem.

8. E contra lex ecclesialis sub determinatis dumtaxat conditionibus errori in qualitate personae efficaciam iuridicam agnoscit consensum invalidantem, dum in c. 1097, § 2 ita cavet: “Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritum non reddit, nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur”.

Haec igitur norma per se ac directe nullam efficaciam irritantem consensum tribuit errori in qualitate personae, immo neque errori antecedenti seu causam danti contractui. Nam qui intuitu alicuius qualitatis in comparte sub influxu erroris ad celebrandum coniugium sese determinat, quod secus non celebraret, ambitum voluntatis hypotheticae non egreditur, et ideo, cum res non sit de errore substantiali sicut in errore circa personam, effectum invalidantem consensum consequi non valet.

Sed ex significatione clausulae “nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur”, ope argumenti «a contrario» vel ex «dissociatione» in sensu productivo novae normae implicitae, iure deducitur quoque altera erroris in qualitate personae figura, vim irritantem consensum habens, videlicet si errans circa qualitatem alterius partis eandem quoque qualitatem directe et principaliter intendat, seu si intentionem directam ac principalem in eam proprie convertat.

9. Re quidem vera, cum de qualitate communi agatur, haec qualitas non solum seria sit oportet, id est “né frivola né banale” (IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad Romanae Rotae Auditores coram admissos*, 29 ianuarii a. 1993, n. 7, in AAS 85 [1993] 1260), verum etiam ex praevalenti voluntate errantis obiectum consensus ingredi debet.

Hoc autem obvenit, si haec tria concurrunt:

a) Imprimis errans exoptatam qualitatem personae alterius partis *intendere* debet.

Idque fit, si ipse actu intellectus determinatam qualitatem specificet et actu voluntatis explicito vel saltem implicito eam appetat. Qui enim in qualitate «intenta» errat, intentione seu voluntate sua eam amplecti debet, quatenus “intentio est actus voluntatis” (cf. P. SIWEK, *Psychologia methaphysica*, Romae 1962<sup>6</sup>, 437).

b) Deinde errans optatam qualitatem personae compartis actu voluntatis *directe* appetere debet. Quod verificatur, si haec qualitas obiectum immediatum actus voluntatis constituat, non vero obiectum genericum vel mediatum, quod nempe in alio obiecto continetur, ex quo tamquam ex praemissis deduci potest.

c) Demum errans actu voluntatis qualitatem personae compartis *principaliter* attingere debet. Quod fit, si ipse qualitatem intentam prae ipsa persona compartis praecipue attendat, non autem accessorie et incidenter, sicut aliquid iuxta substantiam personae quod eam tantum concomitatur (cf. c. 1541; coram infr. PONENTE, sent. 24 octobris a. 1991, n. 11, RRD LXXXIII, 676).

In errore igitur circa intentam qualitatem alterius partis vis adverbiorum «*directe et principaliter*» hucusque explanari potest congruenter *tertiaae regulae* S. Alphonsi, videlicet “si consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam” (*Theologia moralis*, lib. VI, tract. VI *De matrimonio*, cap. III *De impedimentis matrimonii*, dubium II, n. 1016, Mechliniae 1852, 31).

10. Sicut simplex error spontaneus seu fortuitus circa alterius partis qualitatem, etiamsi det causam contractui, matrimonium nullum non reddit, quia

limites voluntatis interpretativae per se haud excedit, nisi qualitas, de qua erratur, directe et principaliter intendatur, ita nec omnis error in qualitate personae compartis *dolo* excitatus matrimonium irritat, quamquam errori iniustitiam deceptionis adiecat, nisi deceptio respiciat ad qualitatem, quae natura sua apta sit ad graviter perturbandum consortium vitae matrimonialis.

Itidem enim lex ecclesialis sancit invalide contrahere eum, qui consensum praestat *deceptus dolo* circa aliquam alterius partis qualitatem, quae suapte natura consortium vitae coniugalis graviter perturbare potest (c. 1098).

Agitur sane de deceptione «dolo malo» alterius capta, fidem scilicet inter contrahentes graviter laedenti, non vero de quadam levi sollertia «dolo bono» tantum effecta, seu omni noxa vacanti iuxta communem hominum sensum, quam verbi gratia iurisconsulti antiquitatis omnino probaverunt, ut puta “si adversus hostem latronemve quis machinatur” (D. 4, 3, 1, 4), vel sicut obvenit in arte mercatorum ubi “in pretio emptionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire” (D. 4, 4, 16, 4), aut “quemadmodum in emendo et vendendo naturaliter concessum est quod pluris sit minoris emere, quod minoris sit pluris vendere et ita invicem se circumscribere, ita in locationibus quoque et conductionibus iuris est” (D. 19, 2, 22, 3).

11. Dolus autem dupliciter sumi potest, videlicet sive tamquam machinatio, fallacia et calliditas alterius decipiendi causa, hoc est ad inducendum eum in errorem, sive tamquam eventus deceptionis, in errore deceptivo seu doloso subsistens, in quem alter hisce mediis seu artificiis deceptoriiis revera inducitur.

Momentum machinationis ad decipiendum alterum, ut notum est, traditio romanistica «dolo malo» tribuit dum tenet dolum non solum in simulatione contineri, ad quam definitio serviana eius ambitum coartare intendit rata nempe dolum esse “machinationem quandam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur et aliud agitur” (D. 4, 3, 1, 2), verum etiam praeter simulationem dari posse, sicut celeberrima definitio labeoniana concedit “dolum malum esse omne calliditatem fallaciam machinationem ad circumveniendum fallendum decipiendum alterum adhibitam” (D. 4, 3, 1, 2).

Haec vero doli significatio iniustitiam actus machinationis, fallaciae et calliditatis implicat, ob quam decepto actio civilis spectat ad obtinendam damnorum reparationem, quam verbi gratia antiquitus consequi poterat actione vel exceptione doli, aut in integrum restitutione ob dolum.

In altera autem doli acceptione eventus ipsius deceptionis protenditur, in errore doloso consistentis, in quo propter libertatis agendi laesionem praevallet effectus consensum invalidans super effectu de resarciendis damnis decepto illatis, ex quo dolus pariter inter vitia consensus consideratur (cf. M.A. JUSTADO RUIZ-CAPILLAS, *El dolo en el matrimonio canónico*, Barcelona 1988, 239).

Huic acceptioni, ut videtur, magis accedit notio doli quam doctrina et iurisprudentia canonica sustentant, iuxta quam dolus dicitur “deceptio alterius deliberate et fraudulenter commissa, qua hic inducitur ad ponendum determinatum actum iuridicum” (G. MICHIELS, *Principia generalia*, 660. Cf. etiam J.F. CASTAÑO, *Il sacramento del matrimonio*, 354; L. CHIAPPETTA, *Il matrimonio nella nuova legislazione canonica e concordataria*, Roma 1990, 219; coram

BRUNO, sent. 19 novembris a. 1993, Reg. Insubris seu Comen., n. 3).

12. Quamvis doli duplex sit consideratio possibilis: “doli ipsius quatenus iniusti (damnificatio), et eius effectus, erroris, sive accidentalis sive substantialis”, quatenus “causa iniusta (dolus) et effectus (error) considerari possunt separatim” (F.J. URRUTIA, *Dolus in iure canonico*, in *Periodica* 79, 1990, 268; cf. L. BENDER, *Normae generales de personis*, Roma - Parigi - New York - Tournai 1957, 177), nihilo secius deceptio alterius ope machinationis, fallaciae et calliditatis ab errore praescindi nequit, cum error ipsius actus decipiendi effectum proprium ac necessarium constituat. Nam *deceptio alterius* in errore consistit, id est “sive *positiva*, faciendo aliquid vel dicendo quo alter in errorem inducitur, sive *negativa*, simulando aliquid vel reticendo, ut confirmetur et ad finem proprium utilisetur alterius error fortuitus” (G. MICHIELS, *Principia generalia*, 660).

Iamvero “primarius et directus doli effectus hic est, quod in mentem agentis *errorem* excitat (dolus positivus) vel saltem errorem fortuitum iam existentem culpabiliter confirmat (dolus negativus), sub cuius erroris influxu agens determinatur ad ponendum actum iuridicum determinatum” (*ibid.*, 662), dum alii effectus doli, prout *iniuria* facta decepto, laesio eius *libertatis agendi* et iniustum praeiudicium seu *damnum* ei illatum, nonnisi “mediate errore dolose provocato” exitum suum sortiuntur (*ibid.*).

13. Quin etiam effectus iuridici doli cum effectibus erroris, ex huius indole pendentibus, stricte connectuntur.

Iamvero nullum adest dubium “quin *error dolo* alterius in intellectu agentis provocatus, *qua talis*, iisdem regatur principiis ac error mere fortuitus”, et

ratio “fundatur in intrinseca erroris, qua talis, natura et nullatenus mutatur, prout origo eius vel causa efficiens, a qua excitatur, sit diversa” (*ibid.*, 663).

Quare “si *error*, per dolum sic dictum substantialem in mentem agentis excitatus, *substantialis* sit seu «versetur circa id quod constituit substantiam actus ab agente positus ipso iure est nullus” (*ibid.*).

E contra, “si *error*, per dolum sic dictum accidentalem in mentem agentis excitatus, sit *mere accidentalis*”, tunc “actus ab agente positus ex se, seu solius erroris ratione habita, est validus, nisi aliud iure caveatur. Sed tunc intervenit alius infirmitatis titulus, deceptioni iniustae qua tali specificè proprius” (*ibid.*). Ita enim *error*, ex dolo proveniens, iure coërcetur etiamsi non sit *substantialis*, ratione nempe deceptionis.

Nam in dolo accidentali quoque, qui errorem accidentalem provocat, nedum aequitas canonica, sed ipsa iustitia exigit ut *iniustitia* dolo illata resarciatur.

14. Ad rem enim c. 125, § 2 de effectu *doli accidentalis* in actu iuridico ita cavet: “Actus positus ex *metu gravi*, iniuste incusso, aut *ex dolo*, valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve in iure successorum sive ex officio”.

Quando enim de *dolo substantiali* agitur “quo scilicet in agente *error substantialis* fuit excitatus, nullum requiritur *speciale* iuris remedium *ad reparandam iniustitiam* erga deceptum commissam; cum enim in hoc casu actus ab agente positus iam ipsa ratione erroris *substantialis* sit ipso iure nullus (c. 104 CIC 17 = c. 126 CIC 83), *iniustitia* erga ipsum per deceptionem qua talem commissam per declarationem nullitatis habetur totaliter reparata” (*ibid.*, 664).

“Non ita *quando agitur de dolo accidentali*, quo in agente nonnisi *error accidentalis* fuit productus.

Cum legislator taliter decepto non succurrat quatenus errorem est passus, nisi in casibus omnino exceptionabilibus supra expositis, ac proinde iniuria per ipsam deceptionem qua talem illata regulariter non sit sufficienter reparata, ipsi succurrendum est per *specialia iuris remedia*, ad hoc directe concessa ut reparetur *iniustitia* per deceptionem dolosam agenti illata, quotiescumque error iniuste productus mere accidentalis est ideoque accidentalis dolus” (*ibid.*, 664-665).

Pro tali igitur casu decepto competit non solum actio rescissoria ex dolo, verum etiam exceptio contra eum qui urget actus ex dolo positi executionem (*ibid.*, 669; cf. c. 125, § 2).

Nam in dolo accidentali, sicut in metu gravi et iniuste incusso, de quibus eodem prescripto c. 125, § 2 cavetur, “succurritur agenti, quia et in quantum eius libertas agendi fuit per causam extrinsecam iniuste laesa”, etsi in dolo “coactio voluntatis non verificatur nisi mediante errore in intellectu agentis iniuste excitato” (*ibid.*, 665).

15. Idque valet tamquam norma iuris communis quod spectat ad actus iuridicos in genere.

Si enim de matrimonio agatur, quod ex iure divino est indissolubile (cf. cc. 1056; 1141), actio rescissoria ex dolo admitti nequit, sed ad praecavendam gravem iniustitiam et libertatis internae gravem quoque laesionem, quae ex machinatione alterius errorem deceptorium inducente exurgerent in ordine ad extorquendum consensum, si nullum daretur remedium contra deceptionem deliberate commissam, lex ecclesialis in aequitate naturali fundata actionem nullitatis matrimonii ex deceptione dolosa celebrati his verbis sancit: “Qui matrimonium init deceptus dolo, ad obtinendum consensum patrato, circa aliquam alterius partis qualitatem, quae suapte natura

consortium vitae coniugalis graviter perturbare potest, invalide contrahit" (c. 1098).

Quamvis nulla adsit dubitatio, quin haec norma casui sub iudice applicari possit, cum de matrimonio agatur quod post novae legis matrimonialis promulgationem iam celebratum est, nihilosecius brevi saltem mentione digna videtur hucusque procedens disceptatio, utrum novum legis praescriptum enuntiationem principii doctrinalis contineat, an potius vim exserat dispositionis iuris positivi canonici.

Etenim, ut notum est, ipsi postulatotes novae legis de deceptione dolosa in consensu matrimoniali pro certo habuerunt postulatam ex aequitate naturali legem esse iuris positivi tantum, cui igitur vis retroactiva "non competere", sed solummodo "pro futuro tempore tuitio iuridica contra deceptionem dolosam ita certa redderetur" (cf. H. FLATTEN, *Quomodo matrimonium contrahentes iure canonico contra dolum tutandi sint*, Coloniae 1961, n. 5).

16. Quod principium firmum hucusque manet apud insignem partem doctrinae canonicae, quae novam normam de deceptione dolosa iuris positivi ecclesiastici omnino habet, ad tempus futurum igitur respicientem, non vero ad illud praeteritum (c. 9) seu ad matrimonia sub vetere Codice celebrata (cf. v. gr. M.F. POMPEDDA, *Annotazioni sul diritto matrimoniale nel nuovo Codice canonico*, in *Studi di diritto matrimoniale canonico*, Milano 1993, 227; S. GHERRO, *Diritto matrimoniale canonico*, Padova 1985, 165 ss.; P.A. BONNET, *Introduzione al consenso matrimoniale canonico*, Milano 1985, 85; U. TRAMMA, *De matrimonio ante diem 27 nov. 1983 contracto quod nullum declaratum sit ob dolum a quodam tribunali primi gradus*, in *Monitor Ecclesiasticus* 110, 1985, 505; L. NOTARO, *Brevi note in tema di dolo ed errore*, in *Il*

*Diritto Ecclesiastico* 96, 1985, 76; J.F. CASTAÑO, *Il dolo nel matrimonio*, in AA.Vv., *La nuova legislazione matrimoniale canonica*, Città del Vaticano 1986, 115; L. CHIAPPETTA, *Il matrimonio nella nuova legislazione canonica e concordataria*, Roma 1990, 222).

Nam “dolus qua talis nullum influxum invalidantem habet ex iure naturali”, ex quo “in canone 1098 quidquid operantur verba «*deceptus dolo ad obtinendum consensum patrato*» tribuendum est iuri positivo Ecclesiae” (U. NAVARRETE, *Canon 1098 de errore doloso*, 178-179). Quare “nihil aliud restat igitur quam retinere errorem dolosum, dolo ad obtinendum consensum patrato (v. gr.) circa alterius partis sterilitatem, reddere nullum matrimonium ex voluntate legislatoris humani, qui, hac norma aequitati naturali prorsus consona, ultra ius naturale libertatem nubendi protegit contra machinationes et circumventiones alterius partis” (*ibid.*, 178).

17. Itemque retinet praevalens iurisprudencia N.F. agi “de norma iuris ecclesiastici, non vero iuris naturalis, uti quidam auctores et quaedam decisiones Nostri Fori, perrarae quidem, affirmarunt, quae matrimoniis ante novi Codicis promulgationem initis non videtur applicari posse”, quia “influxus doli in matrimonialem consensum directe et immediate ex errore motivato promanat et tantum indirecte ex actione dolosa. Ceterum in canone 9 sancitur: «leges respiciunt futura non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur», et “in canone 1098 nihil de matrimoniis praeteritis cavetur” (coram BRUNO, sent. 19 novembris a. 1993, Reg. Insubris seu Comen., n. 3; cf. etiam in hoc sensu: coram PARISELLA, sent. 24 martii a. 1983, n. 30; RRD LXXV, 153; coram AGUSTONI, sent. 10 iulii a. 1984, n. 18; RRD LXXVI, 460; coram PALESTRO, sent. 24 iunii a. 1987, Caracen.,

n. 8; coram BRUNO, decr. 21 octobris a. 1988, Mangaloren., n. 5; coram DE LANVERSIN, sent. 15 iunii a. 1989, n. 31; RRD LXXXI, 434; coram GIANNECCHINI, sent. 24 ianuarii a. 1982, Romana, n. 4).

Inde si de nullitate matrimonii agatur, quod celebratum est ante promulgationem novi Codicis, omni tempore “quaestio poni debet de retroactione eiusdem ad tempus praeteritum” (coram POMPEDDA, sent. 6 februarii a. 1992, Calicuten., n. 3). Nam “iure naturae invalida sunt matrimonia in quibus de errore substantiali agatur”, non vero de errore accidentali tantum (coram PARISELLA, sent. 24 martii a. 1983, n. 30; RRD LXXV, 153).

18. Sunt tamen quaedam decisiones N.F., quae potissimum obiter dicendo sustentant “dolum esse iuris naturalis atque vim retroactivam habere” (coram FALTIN, sent. 27 iunii a. 1991, Olomucen., n. 20), potissimum propter assertum gressum qui factus est “ex inspiratione praesertim doctrinae Concilii Vaticani II”, “de uno *dolo institutional*i ad dolum quoque *interpersonalem*” (coram SERRANO, sent. 1 iunii a. 1990, Romana, n. 5).

Itemque pars doctrinae canonicae contendit deceptionem dolosam ex iure naturali vim suam exsere ideoque applicari posse etiam matrimoniis celebratis ante promulgationem novi Codicis (cf. v. gr. M.J. JUSTADO RUIZ-CAPILLAS, *El dolo*, 295; J.G. JOHNSON, *On the Retroactive Force of Canon 1098*, in *Studia Canonica* 23, 1989, 82; P. MONETA, *Il matrimonio nel nuovo diritto canonico*, Genova 1991<sup>2</sup>, 163; C. GULLO, *Riflessioni sulla retroattività del can. 1098*, in *Jus Ecclesiae* 4, 1992, 233).

Immo interdum retinetur normam de deceptione dolosa, etiamsi sit iuris positivi, vim tamen retroactivam exserere propter assertam incompatibilitatem

doli cum exigentiis matrimonii, de quibus sermo est in c. 1055, § 1 (F.R. AZNAR GIL, *La retroactividad o irretroactividad del dolo* (can. 1098), in *Curso de Derecho matrimonial y procesal canónico para profesionales del foro*, X, Salamanca 1992, 451).

19. Hac tamen in re Pontificia Commissio Codici Iuris Canonici authentice interpretando, quae nunc «Pontificium Consilium de legum textibus interpretandis» nuncupatur, die 12 decembris a. 1986, privatum dedit responsum Archiepiscopo Friburgensi, mentem Congregationis Plenariae referens, quaestionem propositam de retroactivitate sin minus c. 1098 nondum esse maturam sub adspectu doctrinali, ut interpretatio authentica dari posset (cf. *Archiv für Katholisches Kirchenrecht* 155, 1986, 482).

Pontificia Commissio renovavit quoque tenorem praecedentis epistulae diei 8 februarii a. 1986 eidem Archiepiscopo datae, quae mentem Coetus Consultorum hac in re sequentibus verbis significaverat: “La Consulta è incline a ritenere il disposto del can. 1098 di diritto meramente positivo, e pertanto *non retroattivo*. Data comunque la grande varietà di casi che potrebbero cadere sotto la fattispecie ivi descritta, non si può escludere *a priori* che alcuni di essi, possano configurare nullità derivanti dal diritto naturale, nel cui caso sarebbe legittima una sentenza affermativa. Corrisponde ai giudici, in possesso di tutti i possibili elementi, valutare se nel caso concreto ci si trovi dinanzi ad un tipo di *errore invalidante* il consenso non per la disposizione positiva del can. 1098 ma per forza del diritto naturale, come si è verificato in alcune sentenze anteriori alla promulgazione del Codice”.

Et insuper: “Anche in mancanza di una interpretazione autentica che sancisca la non retroattività del

can. 1098, attesa l'esistenza del dubbio sulla natura del prescritto del can. 1098 — di conseguenza sulla sua applicabilità o meno ai matrimoni celebrati prima del 27.XI.1983 — occorre tener conto del can. 1060, in base al quale *in dubio standum est pro valore matrimonii*.

20. Quibus prae oculis habitis, Pontificia Commissio sequentem procedendi viam praesertim in iudiciis ita breviter sanxit, scilicet “il comportamento da seguirsi da parte dei Tribunali, in ragione del can. 1060 e anche in considerazione del fatto che nella prescrizione del can. 1098 possono includersi fattispecie di errore doloso il cui peso invalidante nei confronti del consenso matrimoniale non è riducibile al solo diritto positivo” (*ibid.*).

In hac igitur complexa admodum quaestione haec tenenda esse videntur:

a) Principium iuxta quod «in dubio standum est pro valore matrimonii» (c. 1060), vigorem suum exercet in aestimatione erroris dolosi quod spectat ad matrimonia ante promulgationem novae legis celebrata, videlicet si “dubium proveniat ex eo quod limites iuris naturalis non clare cognoscuntur”, vel “debeatur nostrae ignorantiae de momento iuridico doli in foedere coniugali, ac proinde de momento iuridico can. 1098” (U. NAVARRETE, *Canon 1098 de errore doloso*, 181; cf. P.F. NICOLSI, *Il dolo come nuovo vizio del consenso matrimoniale*, Roma 1991, 149).

b) Intra ambitum praescripti c. 1098, praeter casus doli accidentalis, qui errorem accidentalem tantum concitat, dari possunt casus doli etiam substantialis, errorem substantialem efficientis, cuius vis invalidans consensum iam ex ipsa ratione erroris substantialis provenit et consequenter ad ius mere positivum reduci nequit.

21. Inde sociari potest auctoritate gravi opinioni “posse dari errorem, sive dolosum sive non dolosum, circa alterius partis qualitatem quae adeo graviter suapte natura perturbare possit consortium vitae coniugalis, ut directe ex iure naturali reddat irritum matrimonium, quamvis illa qualitas non fuerit «*directe et principaliter intenta*» (c. 1097, § 2), immo quamvis errans ad illam modo explicito numquam attenderit. Huiusmodi nullitates, cum sint iuris naturalis, producuntur independenter a c. 1098, ac proinde iam locum habebant in matrimoniis celebratis ante diem 27 novembris 1983” (U. NAVARRETE, *Canon 1098 de errore doloso*, 179-180).

Enimvero iam sub vetere Codice in ambitu iurisprudentiae N.F. super efficacia erroris qualitatis redundantis in errorem personae (c. 1083, § 2, n. 1 CIC a. 1917) concessum erat matrimonialem consensum “ex natura rei” ferri “in elementa constitutiva matrimonii et qualitates compartis necessarias ad exercitium iurium et obligationum essentialium matrimonii” (coram PINTO, sent. 14 aprilis a. 1975, n. 11; RRD LXVII, 237).

Quare error in qualitate huiuscemodi (cf. *Communications* 9, 1977, 372), iuxta criterium exigentiae consortii vitae coniugalis, etiam substantialis fieri poterat, hoc est cum effectu invalidanti consensum matrimonialem (cf. coram infr. PONENTE, sent. 24 februarii a. 1983, n. 6; RRD LXV, 47).

22. Tandem paucis saltem disceptandum manet de requisitis ipsius deceptionis dolosae, quae ex legis ecclesialis praescripto consensum matrimonialem invalidum reddit.

Imprimis requiritur ut machinatio ad decipiendum alterum adhibita revera effectum suum sortiatur in consequenda *deceptione dolosa*, erroneam cogni-

tionem efficiente, quae deceptum determinet ad celebrandum matrimonium.

Lex enim statuit invalide contrahere eum, “qui matrimonium init deceptus dolo” (c. 1098), ex quo consequitur, ut is in statu deceptionis, errorem dolum complectentis, consensum matrimonialem praestet (cf. coram BOCCAFOLA, sent. 18 octobris a. 1990, Beneventana seu Campobassen., n. 11; coram POMPEDDA, sent. 6 februarii a. 1992, Calicuten., n. 3).

Idque obvenit, si deceptio dolosa det causam matrimonio ineundo; secus enim pars decepta, hoc est seclusa deceptione, matrimonium nullatenus celebrasset. Non sufficit igitur dolus mere incidens, qui in determinationem contrahentis non influit, cum ipse, dolo omisso, matrimonium pariter inivisset. Si enim nupturiens non obstante deceptione matrimonium revera inire voluisset, dici nequit ipsum ex dolo incidenti reapse subiisse gravem libertatis laesionem atque iniustam, quae nullitatem consensus efficeret.

23. Deinde machinatio dolosa decipiendi alterius causa ex parte deceptoris praeparata esse debet, intentione deliberata, *ad obtinendum consensum matrimonialem* (c. 1098).

Quare vim irritantem consensum habet dolus directus tantum, non vero dolus indirectus (cf. U. NAVARRETE, *Canon 1098 de errore doloso*, 168), sicut quidam probare conantur ex analogia cum metu (cf. J.F. CASTAÑO, *Il Sacramento del matrimonio*, 371). Nam “si dolus ad alios fines assequendos dirigatur, v. gr. ad proprium vel familiae honorem tutandum, nullum influxum in consensum exercet et matrimonium validum censendum est” (coram BRUNO, sent. 19 novembris 1993, cit., n.4).

Non sufficit enim ut quis dolo deceptus celebret matrimonium, sed ex legis praescripto omnino neces-

se est, ut dolus patratu sit ad obtinendum consensum (cf. *Communicationes* 3, 1971, 77; 15, 1983, 233). Hoc igitur modo violationi libertatis ex parte decepti respondere debet iniusta agendi ratio deceptoris, qui adhibita machinatione dolosa consensum alterius extorquet.

Quamquam in negotiis bilateralibus requiri solet ut dolus ab altera parte proveniat, vel saltem ea sciente patretur, habita tamen ratione eiusdem effectus, quem provocare potest in decepto sive dolus compartis sive personae tertiae, tamquam certa opinio admittenda est iuxta quam "nihil refert, utrum talis dolus patratu sit a parte contrahenda an ab alia persona" (*Communicationes* 3, 1971, 77).

Itemque ad effectum nullitatis nihil quoque refert utrum ad obtinendum consensum patratu sit dolus «positivus», in faciendo vel dicendo aliquid consistens, quo alter in errorem inducitur (dolus commissivus), an dolus «negativus», in reticendo vel simulando aliquid consistens (dolus omissivus), quo alter confirmatur tantum in errore spontaneo. Cum enim agatur "de qualitate essentiali pro instaurando consortio matrimoniali, qui caret illa qualitate non potest tacere simpliciter, quia hoc silentium esset dolosum" (*Communicationes* 9, 1977, 372).

Merito tamen affirmatur "ius ad compartem cognoscendam" et "mutuam auto-revelationis obligationem" non esse absque ullis limitibus, cum respiciant tantum "ad id quod autodonationi coniugali essenziale sit, non vero ad elementa accidentalia, vel tantum perfectiva huius donationis" (coram BURKE, sent. 25 octobris a. 1990, n. 7; RRD LXXXII, 724).

24. Insuper deceptio dolosa verti debet in *aliquam qualitatem alterius partis* (c. 1098), quam deceptor in matrimonium ducere intendit. Eapropter ex

claro legis praescripto vim invalidantem consensum minime habet deceptio dolosa circa aliquam qualitatem personae tertiae, etiamsi haec intime coniuncta sit cum altera parte, sicut verbi gratia socrus cum filia vel filio.

Sunt tamen qui putent hac in re essentialem esse indolem qualitatis, non vero eius pertinentiam ad compartem vel ad aliam personam (cf. J.F. CASTAÑO, *Il sacramento del matrimonio*, 373). At verba legis, attenta eorum propria significatione (cf. c. 17), expresse loquuntur de qualitate *alterius partis*, ideoque omnes aliae personae excluduntur, etiamsi sint cum ea intime coniunctae.

Hac de causa nec admittenda videtur affirmatio quam penes praefata exclusio qualitatis ad tertiam personam pertinentis non valeret saltem in casu, "si qualitas saltem indirecte, at essentialiter, personam quoque compartis attingat, uti, v. gr., in casu quo parentes gravi morbo hereditario laborent, et morbus serius ocus etiam in filio vel filia deflagaturus erit" (coram BRUNO, sent. 19 novembris a. 1993, cit., n. 4, b).

Nam "parlando di eredità genetica l'opinione prevalente è che non si tratta di una *qualità ereditaria*, cioè non si eredita la malattia ma probabilmente una complessa disposizione alla malattia: questa si attiva se trova determinate (e in parte imprecisate) condizioni socioambientali, psicosociali, ovvero di natura infettiva e tossica, ecc." (D. DE CARO, *Trattato di psichiatria*, Torino 1979, 53).

Quidquid vero sub adspectu medico dici potest de hereditate morbi, in memorato casu ageretur de deceptione circa alterius partis qualitatem probabilem ac futuram, non vero certam ac praesentem in ea tempore celebrationis nuptiarum.

Deceptio autem se vertere debet in actualem

qualitatem personae compartis, quae ontologice “importat quemdam modum substantiae” seu “quamdam determinationem secundum aliquam *mensuram* (S. THOMAS, *Summa theol.*, I-II, q. 49, in c.), ob quam personae inter se differunt sub adspectu physico, morali, religioso, sociali, iuridico, et ita porro, non vero in aliquod factum a comparte commissum vel in aliquam circumstantiam gravis momenti aut in motum contrahendi (cf. *Communicationes* 9, 1977, 373).

25. Demum deceptio dolosa ad obtinendum consensum non ad quamlibet qualitatem alterius partis se referre debet, sed ad illam tantum, *quae suapte natura consortium vitae coniugalis graviter perturbare potest* (c. 1098).

Etsi dolus natura sua “multo gravius perturbat consortium coniugale quam simplex error” (*Communicationes* 15, 1983, 232), lex tamen insuper requirit ut obiectum deceptionis dolosae sit haec tantum qualitas, quae natura sua capax sit graviter perturbandi consortium vitae matrimonialis.

Iamvero verba legis praeoptare videntur criterium obiectivum in aestimanda naturali aptitudine qualitatis, ad gravem perturbationem consortii coniugalis inducendam, criterio mere subiectivo aestimationis, attento praesertim unico exemplari legali qualitatis huiuscemodi, quam sterilitas constituit (c. 1084, § 3), in ipsa foederis coniugalis substantia radicata (cf. c. 1055, § 1).

Quare “de qualitate agatur oportet quae, iuxta criterion obiectivum (quod aliud esse non potest quam communis aestimatio, a iurisprudencia confirmata), sit in se significans et capax, si dolus circa eam patraretur, coniugalem vitam graviter perturbandi: exempli gratia, morbus valde quidem contagiosus,

status praegnationis ab alia parte inductus, propria condicio membri Ecclesiae catholicae” (coram BURKE, sent. 25 octobris a. 1990, n. 12; RRD LXXXII, 725). Nam “ut perturbatio relevans sit ad normam can. 1098, oportet ut maritale consortium substantialiter tangat, quoad scilicet eius essentiam, proprietates vel fines” (*ibid.*, n. 16, 726).

Cum vero tempore codificationis iuris matrimonialis omnino exclusae non fuerint “qualitates minoris momenti”, videlicet “quae subiective considerantur maximi momenti” (*Communicationes* 9, 1977, 372), nunc dici potest de praevaletia criterii obiectivi super criterio subiectivo.

Attamen momentum ipsum quod pars decepta subiective tribuit qualitati, attentis peculiari mente vel moribus societatis in qua degit, discedi nequit ab indole qualitatis, quae ex natura sua gestare debet potentiam graviter perturbandi consortium vitae coniugalis.

26. Si in iudicio matrimonium nullitatis accusetur tum ob errorem in qualitate personae directe et principaliter intenta, tum ob deceptionem dolosam circa alterius partis qualitatem, quae suapte natura consortium vitae coniugalis graviter perturbaverit, utrumque nullitatis caput concludentibus argumentis probari debet, praesertim quia “qui dolo dicit factum aliquid, licet in exceptione, docere dolum admissum debet” (D. 22, 3, 18, 1).

Imprimis probari debet in errante tempore manifestationis consensus existentia erroris sive spontanei sive dolosi de qualitate compartis requisitae directe et principaliter aut quae natura sua consortium vitae coniugalis graviter perturbat.

Ad rem non sufficit existentia ignorantiae tantum quoad qualitatem exoptatam vel consortium per-

turbantem, quae in defectu etiam falsae seu erroneae cognitionis consistit.

Sicut in errore spontaneo attendenda est potissimum subiectiva aestimatio qualitatis ex parte errantis, videlicet quanti eam habuerit ante celebrationem nuptiarum et quomodo sese gesserit detecto qualitatis requisitae defectu, ita in deceptione dolosa perspicienda est machinatio dolosa ex parte deceptoris ad inducendam alteram partem in errorem de qualitate graviter perturbante consortium vitae coniugalis in ordine ad obtinendum eius consensum.

Probatio autem directa procedit ex ipsius errantis aut decepti et deceptoris, seu dolum inferentis, confessione tum iudiciali cum etiam extraiudiciali, tempore non suspecto facta, quam testes fide digni ac documenta in iudicio confirmare debent.

Probatio vero indirecta progreditur ex errantis vel decepti agendi ratione erga compartem ac matrimonium, postquam veritatem detexit.

Si enim ipse, detecta veritate, statim convictum coniugalem interruperit, compartem dimittendo et accusando eam deceptionis, praesumptio stat pro inductione in errorem spontaneum vel dolosum.

E contra, si ipse absque difficultate ac repugnantia vitam coniugalem prosecutus sit, immo et prolem procreaverit ex comparte, praesumi potest ipsum nec qualitatem directe et principaliter requisisse, neque deceptionem passum esse ad obtinendum consensum.

## IN FACTO

27. Cum error spontaneus vel dolosus circa qualitatem requisitam in comparte ac magni momenti pro consortio coniugali in statu assensus errantis in falsum consistat, ad probandam in foro canonico huius status

subiectivi existentiam multum confert ipsius errantis confessio iudicialis ac potissimum illa extraiudicialis, tempore non suspecto facta, dummodo idoneis testimoniis vel aptis documentis confirmetur.

Ut declaratio huiuscemodi elementum probatorium constituere valeat, de credibilitate ac veridicentia errantis ex actis constare debet.

Sed actor E., qui de errore deceptioneque circa qualitatem sanitatis psychicae sponsae in iudicio queritur, ab omnibus testibus, qui eum cognoscunt, fide dignus atque periurii incapax praedicatur.

Profecto iuxta testium asseverationes "he bears a good moral character, he is honest, reliable and trustworthy and will not commit perjury" (A. 28, 3; C. 29, 3; M. 32, 3; V.R. 46, 3).

Quod vero spectat ad B. conventam, testes actoris, quamvis putent eam pollere "a good moral character", incertes tamen sunt "whether she is reliable and trustworthy and will not commit perjury" (A. 28, 4; C. 29, 4; M. 32, 4). Immo iuxta quosdam "she did not speak the truth about her illness" (M. 32, 4).

Testes autem partis conventae innuunt ei "a good character" (I. 59, 2; C. 61) vel generice testantur eam esse "a good one" (T. 67, 4), vel "quite all right" (Sr. A. 63).

28. Actoris veridicitate explorata, videndum est in primis utrum ipse qualitatem sanitatis psychicae partis conventae in nuptiis ineundis revera requisiverit eamque directe et principaliter intenderit.

In libello litis intorductorio E. refert matrimonium suum cum B. compositum fuisse "by proposal", quia "there was no courtship since I was working at S. and my wife was residing in X." (1). Hisce in rerum adiunctis haud difficile erat ut actor in errorem induceretur, deficiente nempe occasione percipien-

di defectum qualitatis admodum exoptatae in com-  
parte.

Namque, sicut actor narrationem suam prosecutur, "the Girl's party did not reveal that B. has serious mental illness. Just three months before the date of marriage an outside party informed us that B. was having some mental illness. Upon enquiry we received mixed informations, and so we enquired directly to the Girl's party and the girl herself. It was told by B. that she had only a severe attack of typhoid and due to over dose of medicine she was mentally and physically weak, and it occurred in 1976. No mention of any psychiatric treatment was made in her letter. I trusted their words fully and agreed for the marriage to take place as scheduled" (2).

29. Haec omnia actor in iudiciali quoque depositione sub iuramenti fide comprobatur.

Ait enim: "ours was a marriage by proposal. My aunt had written to me about B. in February 1984. I came down from the Gulf and met B. for the first time on June 7th, 1984. I approved of her. Two months after I met her we started corresponding with each other. There was no courtship at all. I went to X. on the 24th and got married on the 27th of January 1985" (26, 4).

Itemque actor enarrat de quadam investigatione, quam ante nuptias perfecit ad explorandam mentis sanitatem sponsae: "prior to our marriage my aunt from X. wrote to me that she had heard rumours that B. commonly known as S. had suffered from mental illness. I tried to make investigations but no concrete evidence was forthcoming. So I wrote to B. directly. She replied to say that she had typhoid and after which she was physically and mentally weak. And that she had gone to Z. for a change of place" (11).

Pars conventa sententiam rogata de indagatione antenuptiali actoris ita se excusat: "I have nothing to hide. I never suffered from mental illness (Schizophrenia)" (54, 7); "I won't accept E., if he considers me as a Schizophrenic patient" (54, 8).

Nihilosecius mulier conventa haud infitiatur antenuptialem investigationem de ipsius conditione psychica peractam ab actore, etiamsi declaret se de acuto accessu morbi, qui vocatur "typhoid", E. ante celebrationem matrimonii scripto certiore fecisse: "I had written this fact to E. before we got married" (54, 7). Ideoque conventa cum de morbo haud celaverit actorem, putat se omnem veritatem ei manifestasse: "I wrote whole truth" (7).

30. Sed in praecedentibus iudicii gradibus Iudices merito censuerunt omnino idoneam ac sufficientem fuisse investigationem E. "about the mental sickness of the respondent before the marriage" (27; 58).

Iamvero prima indagatio, quam actor apud quasdam personas perfecit, sicut ad rem notant Iudices alterius instantiae, "brought conflicting reports about B." (56).

Actor autem non acquievit: ulteriores notitias quaesivit de B. consanguineis, sed frustra, quia "they reported their ignorance about her mental sickness" (46).

Tandem ad ipsam conventam directe scripsit, quae, die 23 novembris a. 1984, hoc est fere duobus mensibus ante nuptias, hisce verbis respondit: "When I was studying at X. College I got an attack with typhoid. I was admitted in M. Hospital for six weeks. I don't know the correct medicine I took at that time. Due to high fever and high dose of medicine all hair from my head was gone away and I was weak physically and mentally. At that time my sister's

husband was M.E.S. Mechanic Engineering Section in Bangalore. After the delivery of my sister she returned to Z. with kid and husband. At that time I <was> accompanied <with> them for a change and rest. About two months I was in Z. with them. After that, they took me back" (62).

31. Nunc vero quaestio ponitur utrum pars conventa ante nuptias revera fuerit "a mental patient", quae scilicet necessitatem habuerit adhibendi curationes quoque psychiatricas propter intolerabilem conditionem psychicam, quae morbum typhoidem consecuta est.

Certum est enim conventam anno 1976 subiisse "an attack of typhoid" et per sex menses in valetudinario "M.'s Government Hospital" congruentes adhibuisse curationes.

Quin etiam pars conventa non excludit se quoque curis psychiatricis uti potuisse tempore degentiae in eodem valetudinario, quatenus propter "high temperature and Delirium... they might have called assistance from a Psychiatrist" (54, 7).

Frater autem conventae C. mentionem facit interventus tantum psychologi: "She was taken to a Psychologist because she felt like depressed" (50, 10).

Itemque curationem psychiatricam memorat quoque in sua declaratione testis J. (44).

Sed e valetudinario dimissa, pars conventa propter debilitatem physicam et psychicam posteriores curationes etiam psychiatricas proseguere debuit.

Idque fecit in civitate Z., ubi per duos menses apud sororem suam degerat et a psychiatro apte curata erat.

32. Utique pars conventa indolem medici, qui eam Z. curavit, omnino ignorare videtur dum dicit: "They took me to the doctor. He could be a Psychia-

trist. I don't know him. I was then physically and mentally weak" (54, 7).

At Soror A. e Congregatione Sororum Sanctae Annae particulatim loquitur de interventu psychiatri: "She was mentally depressed. She came to Z. for change of place in her sister's house. She came to my brother's house. She was with her sister only. My brother-in law is taking care of her even now. Then I only advise to consult a doctor. Since the mental hospital was at a walking distance, we took her there. Doctor did not say anything about mental sickness. She went to that doctor only once. On the same day we came from the hospital" (63).

Depositionem huius testis etiam frater conventae C. confirmat: "In 1976 B. was taken to a Psychiatrist in Z." (50, 11).

Quin etiam de curatione a conventa tunc adhibita actoris pater exemplar relationis medicae exhibuit, quod exaratum est anno 1976 apud "National Institute of Medical Health and Neuro Sciences, Dept. of Psychiatry" in "Z." (15-17).

Quamquam agitur de "an unofficial copy of the report of File No. 7893/76", exemplar tamen porrectum magni momenti continent descriptionem sive alucinationum, quas conventa id temporis habuit, sive tractationis psychiatricae, quam ipsa diebus 8 et 29 octobris et die 19 novembris a. 1976 apud superius indicatum dementium valetudinarium sustinuit.

33. Iamvero exemplar memoratae relationis appellati Iudices merito vocant "very revealing" (38), quia ostendit sive "the past history of B. and her family, as supplied by her aunt and brother is given", sive "her abnormalities and hallucinations", sive demum varia medicamenta tunc ei subministrata, inter

quae enumerantur sequentia: «Eskazine», «Tranchlor» et «Pacitane» (17).

Iamvero iuxta explicationes psychiatrorum medicamentum «Eskazine» adhibetur “for any psychosis” (J. S. 65, 4), et potissimum in casu schizopreniae (M. R. G. 69, 4), dum «Pacitane» subministratur “for counter acting the side effect of drugs like Eskazine” (65, 4; 69, 4).

Ex hisce iam consequitur ut pars conventa ante nuptias psychiatricis curationibus revera subiecta fuerit, etsi de nomine perturbationis psychicae, cui tunc medebatur, nil definite dici potest.

Ad rem enim appellati Iudices alterius gradus notant quod “it is not known and cannot be known whether there were any incidences during the intervening years: 1976-1985. We cannot get any information from her mother who is reticent or is hiding things” (39).

34. Quidquid tamen dici potest de causis pathologiae psychicae partis conventae, et quidem independenter ab accessu morbi typhoidis, de quibus ample disceptant appellati Iudices (43), etiamsi res spectet potius ad competentiam psychiatrorum, excludi tamen nequit effectus collateralis typhoidis in continuatione pathologiae psychicae eiusdem conventae.

Nam iuxta opinionem psychiatri a curatione conventae seu doctoris G. “Typhoid can lead to depression but not to Schizophrenia. Depression as a normal Phenomenon can have every normal person. When there is no cause, or when the reaction is not proportionate to the cause, the Depression can become an illness to be treated” (70, 7).

Itemque secundum alium psychiatrum seu doctorem J. S. “Minor and major mental changes can occur in association or as sequela to Typhoid” (67, 6).

Re quidem vera doctrina psychiatrica advertit "les troubles de la conscience observés au cours de la typhoïde (J.D. GUELFY - P. BOYER - S. CONSOLI - R. OLIVIER-MARTIN, *Psychiatrie*, Paris 1987, p. 308). Immo "de toutes les maladies infectieuses, la fièvre typhoïde est une de celles qui laissent le plus fréquemment des *séquelles* définitives, surtout lorsqu'il s'agit de sujets jeunes: troubles de l'humeur et du caractère, ou affaiblissement intellectuel, ou retard du développement psychique suivant l'âge et parfois évolution vers une démence précoce". "On a signalé aussi la persistance d'états parkinsoniens et la prolongation d'un état hébéphrénocatatonique pendant plusieurs années. Il existe enfin quelques faits bien établis d'épilepsie post-typhoïdique. On a souligné que les complications neuropsychiques durables étaient plus fréquentes chez les jeunes sujets, mais que les états délirants se rencontraient surtout chez l'adulte" (A. POROT, *Typhoïde et paratyphoïde*, in *Manuel alphabétique de Psychiatrie*, Paris 1975, 607).

35. Certum est autem partem conventam nondum exactis tribus mensibus a celebratione nuptiarum, id est die 20 aprilis a. 1985, in nosocomium psychiatricum "Holy Spirit Hospital" in civitate Z. detrudi debuisset.

Sed appellati Iudices alterius gradus haud sine fundamento putant matrem conventae evitare voluisse detrusione filiae in valetudinarium dementium in Z. Statim enim ut symptomata morbi conspexerat, fratrem actoris petivit ut duas tesseras pro ea et pro filia emeret, quia sese conferre intendebant in oppidum «Cochin» ibique ad quindecim dies degere, videlicet, sicut iidem Iudices praesumunt, "to have her treated in their accustomed manner in X. and then return to Z." (41).

Tempore recessus in dementium valetudinario parti conventae applicata erant medicamenta ad curandam pathologiam psychoticam (45).

Immo neurologus apud praedictum nosocomium doctor M. in testimonio scripto diei 1 maii a. 1985 hanc diagnosim morbi posuit: "Schizophrenia" (42).

At psychiater istius valetudinarii dementium Prof. A.S. in supplemento istructionis nuper peracto diagnosim schizophreniae raptim praecipitatam fuisse putat.

Idque ita explanat: "She should not have been diagnosed in the first instance", et quidem propter defectum temporis, quod erat necessarium pro explenda indagatione psychiatrica: "She was taken home prematurely by her husband" (2).

Cum pars conventa in dementium valetudinario "Psychotic Symptoms" clare manifestaverit, psychiater mavult mitiorem proponere diagnosim: "I would have preferred to label her «Schizophreniform Psychosis» and waited" (2).

36. Item iam memoratus psychiater doctor G., qui conventam per annum curavit post eius dimissionem e dementium valetudinario, affirmat cognitionem seu diagnosim morbi schizophreniae requirere longum tempus explorationis patientis in nosocomio, proprie vero "the patient must be under examination for at least six months" (64, 9).

Alia ex parte iuxta eundem psychiatrum mulier conventa e valetudinario dementium Z. dimissa "had depressions symptoms and was treated by me for about one year. She was completely cured. Then only she got the job in Government Hospital" (70, 8).

Utique de nomine morbi psychotici non est heic disceptandum, cum ad competentiam psychiatrorum spectet.

Quidquid autem definitive dici potest sive de diagnosi morbi psychotici partis conventae sive de recuperata ab ea sanitate psychica, quae iuxta psychiatrum a curatione “at the present condition she is capable of leading a normal marital life” (70, 8), merito tamen concludunt appellati Iudices alterius instantiae eandem conventam tempore nuptiarum fuisse “a mental patient” (54), hoc est “before her marriage B. had been suffering from mental sickness and her mental sickness in Z. was only a relapse” (43).

37. Infitiandum non est quin qualitas sanitatis psychicae compartis maximi momenti sit pro consortio vitae coniugalis eiusque defectus, praetermissa iam quaestione influxus morbi psychici in gravem defectum discretionis iudicii (c. 1095, n. 2) vel in defectum capacitatis assumendi essentielles matrimonii obligationes (c. 1095, n. 3), natura sua consortium coniugale graviter quoque perturbare valet, ideoque a contrahente directe et principaliter intendi potest.

Actor autem, ut iam supra dictum est (cf. n. 2 ss.), hanc qualitatem magni habuit eamque in parte conventa directe et principaliter requisivit. Ad hunc finem enim indagationem sufficientem perfecit, sed frustra. Nam in responsionibus sive conventae sive eius familiarium defuit mentio curationis psychiatricae, quam ipsa iam ante nuptias subierat.

Ideoque actor, sicut ad rem argumentantur appellati Iudices, “was quite satisfied and proceeded for the marriage without any postponement. We may blame him for not making more careful enquiries about this very important matter. But E. was a gentleman’s approach” (57).

Erravit igitur actor de existentia exoptatae qualitatis in parte conventa, quia, sicut ad rem etiam

Iudices primi gradus statuunt, "the fact that the Respondent was under psychiatric treatment before the marriage was kept concealed from the petitioner" (28).

38. Pars conventa post nuptias tantum percepit quam magni fuisset pro actore sanitas psychica mulieris in matrimonium ducendae, utpote qui fere quandam aversionem erga morbo psychico laborantes persentiret.

Iamvero postquam frater conventae C. actorem certiores fecit, die 16 decembris a. 1985, sororem iam ante nuptias curationes psychiatricas adhibuisse, hoc est sive in oppido "X." ubi "we approached a Psychiatrist" sive in "Z.", ubi "B. was taken for a complete check up, in a very famous mental hospital", et insuper "she was taking the treatment for some time according to the directions of a doctor from there" (21), hic ad separationem coniugalem devenit.

Quod factum haud dubie probat actorem revera hanc qualitatem in sponsa intendisse directe et principaliter et in errore versatum esse tempore celebrationis nuptiarum circa huius qualitatis existentiam.

Idque conventa apte intellexit, cum ad litteras actoris diei 9 ianuarii a. 1986 ita respondit: "Anyway I agree with one thing. I am a mental patient. Yes I am a mad woman. I know very well you don't like me" (2).

At nil subvenit B. saepe iterata affirmatio quam penes "all my illness will disappear" (3). Actor enim, detecta uxoris pathologia psychica praematrimoniali, convictum coniugalem non resumpsit.

39. Quamvis cum certitudine morali sermo fieri possit de actoris errore circa qualitatem conventae directe et principaliter requisitam, non ita dicendum est de patrata a conventa eiusque familiaribus decep-

tione ad extorquendum viri consensum matrimonialem.

Iudices alterius instantiae ignoscunt quidem fragilitati humanae B. eiusque familiarium, sed reprehendunt quod "they feared that the proposed marriage might be cancelled if he knew about her psychiatric treatment". Ita enim agendo "it was a case of positive and deliberate concealing of the truth", scilicet "it was a kind of fraud and E. was deceived" (67).

Aptius tamen censuere Iudices primi gradus, iuxta quos ex actis causae positive deduci nequit adfuisse in casu "fraud in concealing the quality of the person of B." (29).

Iamvero nec pars conventa nec eius familiares suspectam ostendebant festinationem in nuptiis exorandis: "more than six months were given from the proposal to the actual celebration of marriage. Even after the rumor there remained three months to inquire about" (29).

Etenim sive pars conventa sive eius familiares putaverunt necessarium fuisse manifestare actori accessum typhoidis, dum signa pathologia psychicae habuerunt nonnisi accessoria ac transitoria, ideoque minoris momenti.

"Later she did not have any mental tension", scribebat conventae frater C. actori. Inde "I did not find it necessary to tell you, this earlier" (2).

Ita et pars conventa putabat se totam veritatem actori ostendisse.

Quare deceptio dolosa ex actis morali cum certitudine probata haud apparet.

40. Quibus omnibus in iure et in facto mature perpensis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turino, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, declaramus, de-

cernimus ac definitive sententiamus, ad dubium propositum respondentes:

«AFFIRMATIVE»

seu

«CONSTARE DE MATRIMONII NULLITATE, IN CASU,  
EX CAPITE ERRORIS TANTUM  
IN QUALITATE PERSONAE DIRECTE  
ET PRINCIPALITER INTENTA EX PARTE ACTORIS».

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis locorum et Tribunalium administris, ad quos spectat, ut hanc Nostram definitivam sententiam notificent omnibus, quorum intersit, et executioni tradant ad omnes iuris effectus.

Romae, in sede Tribunalis Rotae Romanae, die 27  
ianuarii a. 1994

ANTONIUS STANKIEWICZ, Ponens  
AEMIUS COLAGIOVANNI  
HYGINUS RAGNI